



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Agenda Ecclesiae Paderbornensis**

**Dietrich <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1602**

De Simonia.

**urn:nbn:de:gbv:23-drucke/s-483a-2f-helmst3**

VERBA CONCILII LATERANENSIS  
CANONE NONO.

Sess. 9. c.  
Statuim<sup>r</sup>  
vide bul-  
la Pij 5.

**S**Tatuimus & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio diuinum officium nō dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis officij vel temporis, sed eostanquam iniuste perceptos in Ecclesiæ fabricas huiusmodi beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneantur. Si verò ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur, cum propter officium detur beneficium.

## TITVLVS ORDINATIONIS.

**I.**  
**Q**uia indecens est ministros Ecclesiæ mendicare, nemo ordinandus est, qui non habeat beneficium verè vel pensionem, vel patrimonium quod sufficiat ad vitam sustentandam, quæ etiam alienari, dimitti aut resignari non debent sine licentia Episcopi, donec aliunde habeant vnde viuere possint.

**II.**  
**N**emo ad mensam alicuius secularis domini aut ecclesiastici Prælati sibi addictam, etiam præstita cautione de non grauando ordinantem, ordinari debet.

**III.**  
**N**ec quisquam ordinetur titulo beneficij fictitij, aut accommodato, accepto cum obligatione de restituendo post ordinem acceptum.

## DE SIMONIA ET EIVS POENIS

**I.**  
**P**rima Simoniaci pœna, est suspensio ab executione ordinum & beneficiorum administratione, & ab ordine suscipiendo.

**II.**  
**D**epositio & infamia, & hæc debent imponi, si in iudicio de Simonia constiterit.



## III.

**E**xcommunicatio papalis per extrauag. Martini in Concilio Constant. quæ incipit, Sacro. Et in extrauag. eiusdem, quæ incipit, Damnabilis. Per quas decernitur super omnes electiones, postulationes, Confirmationes, & quasuis prouisiones ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personatuû, officiorum, & beneficiorum ipso iure esse nullas, dantemq; & accipientem sententiam excommunicationis incurrere, & absolutio per dictum Martinum & alios plures Pontifices, velut Paulum secundum & Sixtum quartum, idq; siue sint occulti simoniaci, siue manifesti in ordine aut beneficio, summo Pontifici reseruatur.

## III.

**R**estitutio fructuum perceptorum pendente excommunicatione.

## V.

**A**ccipiens etiam quicumque pro ordinibus & beneficijs, iisdem pœnis subiicitur, atq; cum Giezi maledictionis lepra inficitur tam diu, donec acceptum restituerit Ecclesiæ: (non enim meretur recipere, qui turpiter dedit) in cuius contumeliam datum fuit, atq; deinde à Pontifice Christi Domini nostri summo vicario reconciliatus Deo & Ecclesiæ, & ad beneficia atque officia denuo rehabilitatus fuerit.

\* + \*



P

COM-